

QVÆSTIONES

DE

AVCTORITATE PONTIFICIA

IN DEFINIENDIS CONTROVERSIIS

Fidei ac Morum,

Iuris & Facti,

EXTRACTÆ EX LECTIONIBVS

REVERENDI ET ERVDITISSIMI DOMINI

D. NICOLAI DV BOIS

S. THEOL. ET J. U. LICENCIATI.

& sacrarum Litterarum in Vniversitate Lovan.

REGII PROFESSORIS.

*de la Libreria del Col. R. ex dono S. Pini Barca  
de la Comp. de Sal.*



*Num. 50. cap. 5. num. 25.*

LOVANI,

Apud PETRVM SASSENUM

1665



# QVÆSTIO XIV.

IN

ACTA

## APOSTOLORVM

Ad versum XV. Capitis I.

An Petrus ad Electionem Mathiæ, & ad interpretationem Scripturarum, quæ de Iudæ prævaricatione, & alterius in eius locum substitutione dictæ sunt, debuerit convocare Concilium? Item an in decretis fidei & morum infallibilis sit Pontificis autoritas sine Concilio præsertim universali.

**V**ERSUS 15. *in diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul fere centum viginti) viri fratres. oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Iudæ, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum &c.*

Quid agendum sit Petrus congregatis fratribus exponit, non autem ex singulorum suffragio concludit. in electione quidem perficienda exquisita sunt vota, *versu 24. & seqq.* sed in definiendo eo, quod ad fidem pertinebat, hoc est, *oportere in locum Iudæ alium fieri testem Resurrectionis & hoc per Davidem esse prædictum*, absque prævio concilio (.cuius hic non apparet ulla vestigia) processit. Ex quo, item *ex cap. 15. v. 7* non obscure colligitur infallibilitas Petri Successorumque Pontificum in decernendis ijs, quæ ad fidem moresque pertinent, etiamsi concilium non adhibuerint. Quod quia immerito à quibusdam in du-  
bium